S. D. N.

D·GREGORII PAPAE XV.

Motus proprius

Communicationis, & extensionis priuilegiorum, immunitatum, & exemptionum, gratiarum, & indultorum, tàm in spiritualibus, quàm temporalibus quibusuis alijs, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium Ordinibus, per quoscunque Romanos Pontifices concessorum, & in futurum concedendorum ad Sacrum Ordinem Carthusień.





GREGORIVS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Vberes, & suaues fructus, quos dilecti filij Prior Generalis, & Monachi Ordinis Carthusien. in militanti Ecclesia, cuius regimini diuina disponente clemẽtia præsidemus, in dies afferunt mentis nostrę aciem conuertẽtes, ac vberiores ex ipso Ordine fructus prouenturos esse sperantes ad ea meritò libenter intendimus, per quæ Ordo huiusmodi felicioribus in dies proficere valeat incrementis. Vt igitur Prior Generalis, & Monachi prædicti eò feruẽtius in suo laudabili instituto perseuerẽt, quò maioribus se viderint fauoribus, & gratijs munitos, prouidere volentes, ac singulares Prioris Generalis, & Monachorum prędictorum personas à quibusuis excommunicationis, suspeñ. & interdicti, alijsque Ecclesiastici sentẽtijs, ceñ. pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium duntaxat consequeñ. harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes. MOTV PROPRIO, & ex certa scientia nostra, deq; Apostolicæ potestatis plenitudine, Ordini prædicto, illiusq; Priori Generali, & Monachis, alijsq; personis, vt omnibus, & singulis priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, gratijs, & indultis, tàm spiritualibus, quàm temporalibus quibusuis alijs, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium Ordinibus, illarumque Superioribus, Abbatibus, Monachis, alijsque Regularibus personis, necnõ Ecclesijs, Monasterijs, & regularibus locis, etiam per viam communicationis, vel extensionis, aut aliàs quomodolibet per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam quomodolibet concessis, & in futurum concedeñ. & quibus ipsi, necnon Ecclesiæ, Monasteria, & regularia loca huiusmodi de iure, vsu, consuetudine, priuilegio, aut concessione Apostolica in genere, vel in specie, ac tàm coniunctim, quàm diuisim, seu aliàs quomodolibet vtuntur, fruuntur, & gaudent, ac vti, frui, & graudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum: dummodo tamen sint in vsu, & non sint reuocata, aut sub aliquibus reuocationibus comprehensa, sacrisq;

Cano-

Canonibus,& Concilij Tridentini decretis, aut Constitutionibus Apostolicis non repugnent, pari modo nō solum ad eorum instar, sed pariformiter, & ęquè principaliter, perinde ac si illis nominatim, & in specie concessa fuissent, vti, frui, & gaudere liberè, & licitè valeant, Apostolica auctoritate tenore pręsentium perpetuo cōcedimus, & indulgemus, dictaque priuilegia, immunitates, exemptiones, gratias, & indulta primo dicto Ordini, illiusque Priori Generali, & Monachis, alijsque personis, necnon eorum Ecclesijs, Monasterijs, & Regularibus locis communicamus, illaque ad eos, & illa extendimus. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac primo dicto Ordini, illiusque Priori Generali, & Monachis, ac personis huiusmodi in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari: sicque per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignorāter contigerit attentari. Nō obstañ. nostra de gratijs ad instar non conceden̄. ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnō quatenus opus sit Ordinum huiusmodi, etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & cōsuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium pręmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis eorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, vt præsentium transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides vbique adhibeatur, quę eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die iij. Februarij M. DC. XXIII. Pontificatus Nostri anno Secundo.

S. Card. S. Susannæ.